

*id et publicæ utilitatis causa, et gloriolæ aliquid meæ, in publicum proponerem. Experimenta enim multa docuerunt, Divini verbi veritatem, ab Ethniciis, a Maumetistis sperni. Sedis Apostolicæ autoritatem a Iudæis, et ab Hæreticis contemni. Oecumenicis synodis et orthodoxorum dogmatibus, eos non persuaderi. Vitæ exemplis et sanctimoniacæ, non flecti: honoribus et munericibus non allici. Hæc enim partim supra humanæ mentis captum sunt, partim: fraudes in eis timent, partim naturæ vim videntur inferre. Vis omnis et fraus horrentur. Ratione sola, ratio humana ducitur, Rationem ratio, libens sequitur. A ratione, ratio volens nolens etiam trahitur. Ratione igitur, sunt homines ad Deum ducendi. In hanc ergo veram ac divinam philosophiam, ratione sola philosophando, totis viribus incubui. Et ingenti, sed obstinatissimo labore, ad finem, eam mihi videor perduxisse. Socias eis addidi, quas dixi pias. Omnes namque propositum sibi finem habent, ut doceant, Deum rerum esse conditorem, rectorem, curatorem, ac provisorem. Et ut homines tum illum, tum se ipsos cognoscant. Et addiscant quibus modis, ad creatorem Deum, animæ humanæ redeant, æternaque apud eum beatitudine fruantur.*

*Cur ergo Pater Beatiss. sperare non debeam, quin tu primus, quando philosophiæ istæ tampliæ, te summo animarum pastore præsidente, ac Christi vices in ternis gerente, partim natæ sunt, partim renata, tuoque nomini ac numini consecratæ, ac commendatæ, in quoque eas libentissime suscipias, ac iubeas atque horreris, et te imitati, reque ipsa admoniti successores omnes tui, patiantur etiam ac velint, ut in omnibus ditionis tuæ, et Romæ præsertim, ac reliquis Christiani orbis gymnasiis, cœnobiiisque harum aliqua, publice legatur philosophia. Quæ ingenti futura sit adiumento, ad Christi fidem fovendam, tuendam, ac per reliquum nondum christianum orbem propagandam. Quippe quæ rationibus firmet, ea quæ sola ratio firmitare potest. Cur Aristotelis philosophiæ, solæ eæ præleguntur partes, quæ magis et Deo, et Ecclesiæ suæ sunt hostes? Pie hæ adiutrices, nullo sunt in numero? Certe Hermetis libellus, de pietate et philosophia, plus philosophiæ, quam universa Aristotelis philosophia continet. Qui facillime munus hoc piissimum adimpleat. Pœmander creationem mundi, et hominis, cum Mosaica fere eandem, complectitur. Et Trinitatis mysterium, longe apertius, quam Moses ipse, enarrat. Multi apud eum, et vera pietate, et vera philosophia, sunt plenissimi libelli, qui pro Aristotelis impiis subrogari, et possint, et debent. Aegyptia vero illa Mystica, tam firmis, pietate erga Deum demonstrationibus fulcit, ut vix apud christianos Theologos, ullæ tales demonstrationes inveniantur, aut ullæ apud Mathematicos tales extent. Sunt apud Platonem multi dialogi, qui sine impietatis periculo ullo, pietatis adiumento multo, publice doceri possint: Philebus, Timæus, Sophista, Parmenides, Phædo. Plotini libri omnes, sacrum quandam continent verius Theologiam, quam philosophiam. Neque argumentationum viribus philosopho ulli cedit: alios omnes acutie superat. Theologica Procli elementa, quæ nos ante paucos annos Latina fecimus, ad instar mathematicarum demonstrationum sunt contexta. Et cum iis ipsis de certitudine certant. Deus Bone, quam sacrosancta, quam admiranda est apud Damascum, Opere de Principiis, de Deo, de Trinitate, de divinis ordinibus Theologia? Platonicos hosce philosophos. D. Agostinus Theologorum columen et culmen, philosophorum omnium nobilissimos, semper in ore habet, et cæteris omnibus anteponit. Et tantus Theologiæ pater, cœnobitarum animos non movet? Aristotelicam, pro nephias, manifestissimam impietatem eis præferunt. Sed præferunt ignorantia. Neque enim,*